

Eumen. 1. 5. *habuit eum ad manum Scribæ loco; quod multo apud Græjos honorificentius est, quam apud Romanos: Nam apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii Scribæ existimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria, cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.*

Gravina vult semper Scribas in honore, apud Romanos quoque, fuisse; quia negotium, quod gerebant, quum haud parvi momenti esset, opus erat, ut viris honestis concederetur. Memorato loco hæc scribit: *Huic accedebat Ordo Scribarum, qui leges, actus, rationesque omnes publicas perscribebant, ac referebant in tabulas. Quod negotium haud parvi sane momenti dabatur viris honestis, quippe futuris custodibus fidei publicæ, publicæque voluntatis conservatoribus. Quam ob causam & apud Græcos hominibus honestiore loco natis hujusmodi manus deferebatur. Quamvis Cornelius Nepos in Eumene Scribarum manus in majori apud Græcos honore, quam apud Romanos fuisse, scribat. At distinguamus tempora, & conciliabimus Auctores; etenim ex Cicerone in Verrem 3. 79. discimus, tractu temporis hunc ordinem incepisse honestius haberi: Ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque Magistratuum, committuntur.*

Refert etiam ipsemet Tullius, Scribarum numerum adeo excrevisse, ut fuerit in decurias descriptus, ordinis videlicet sui, ut ait Pitiscus, servandi gratia, in civitate plena populo, & variis potestatibus parente; vel, ut inquit Gravina, *cumque numerus eorum minime esset exiguus, dispersiti fuerunt in decurias: in quibus qui Scriba fieri optabat, locum sibi aliquando emere solebat.* Subdit idem Gravina, Magistratibus jus fuisse, ut